

grinantur scholaribus, et maxime divinarum atque sacrarum legum professoribus, hoc nostre pietatis beneficium indulgemus, ut ad loca, in quibus litterarum exercentur studia, tam ipsi quam eorum nuncii veniant et habitent in eis secure. Dignum namque existimus, ut bona facientes nostra laude et protectione tueantur, quorum scientia mundus illuminatur ad obediendum Deo et nobis, eius ministris, vita subiectorum informatur, quadam eos speciali dilectione ab omni iniuria defendamus. Quis enim eorum non misereatur, cum amore scientie facti exules, de divitibus pauperes semetipsos exinaniant, vitam suam omnibus periculis exponunt et a vilissimis sepe hominibus, quod graviter ferendum est, corporales iniurias sine causa perferunt! Hac igitur generali et in eternum validura edicimus lege, ut de cetero nullus ita audeat inveniat, qui aliquam scholaribus iniuriam inferre presumat, nec ob alterius provincie delictum, quod aliquando ex perversa consuetudine fieri audivimus, aliquod dampnum eis inferat; sciturus, huius constitutionis temeratoribus et illius temporis, si ipsi hoc vindicare neglexerint, locorum rectoribus restitutionem rerum ab omnibus in quadruplum exigendam, notaque infamie ipso iure eis irrogata, dignitate sua inperpetuum careant. Verumtamen si eis litem super aliquo negotio quispiam movere presumpserit, huius rei optione scholaribus data, eos coram domino aut magistro suo vel ipsius civitatis episcopo, quibus hanc iurisdictionem dedimus, conveniant. Quod si vero ad alium iudicem trahere temptaverint eum, et si iustissima causa fuerit, pro tali conamine a debito cadat. Hanc autem legem inter imperiales constitutiones sub titulo 'Ne filius pro patre etc.' inseri iubemus.

Dat. apud Roncalias, anno Domini MCLVIII, mense Novembri.

## Nr. 15. (13). Privileg für das Bistum und Herzogtum Würzburg. — 1168, Juli 10.

ſ. B r e ſ l a u, Diplomata centum. Nr. 72, S. 104—108; verbessert nach Kaiserurkunden in Abbild. X, 12. — Vgl. Eugen Rosenfeldt, Herzogsgewalt und Friedensschutz, Breslau 1910, S. 125—138.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus divina favente clementia Romanorum imperator et semper augustus. Imperialem celsitudinem decet predecesorum suorum pia facta non solum inviolabiliter conservare, sed etiam censure sue auctoritate alacriter et sollempniter confirmata perhenni commendare memorie, ne, quod a divis imperatoribus ad laudem Dei necessitatibus ecclesiarum et saluti provinciarum clementer indultum et irrefragabiliter institutum est, decursu temporum vel qualibet rerum varietate posteris hoc fiat dubium vel incertum. In examine namque cuncta Dei conspicientis equale meritum credimus dantis et data corroborantis. Unde nos piis votis delectamur vetustatis invento et sequi vetera instituta libenter amplectimur, quia locus subreptionibus non relinquitur, quotiens rationabiliter constituta servantur. Noverit itaque Dei et imperii nostri fidelium tam presens etas quam successura posteritas, qualiter in generali curia Wirzeburg celebrata, ubi inter discordes principes Saxonie Deo cooperante plenam reconciliationem perfecimus, Heroldus eiusdem civitatis venerabilis episcopus cum omni ecclesie conventu et spectabili liberorum et ministerialium multitudinem nostram suppliciter imploravit clementiam, ut omnem iurisdictionem, quam antecessores sui et ecclesia et ducatus Wirzeburgensis a Karolo Magno et omnibus successoribus suis usque ad presens tempus iusta et quieta possessione sine diminutione tenuerunt et possederunt, sibi et ecclesie et ducatu imperiali auctoritate et privilegii nostri munitione confirmare dignaremur. Quia vero rationabiles petitiones supplicum libenter amplectimur, qui etiam non rogati iusta cogitare debemus, definitas res ab antiquis imperatoribus, quas tamen constat rationabiliter esse decretas et ab ecclesia et ducatu Wirzeburgensi longissimis possessionibus, ut et memoriam hominum excedant, irrefragabiliter habitas et usitatas, nulla volumus deinceps ambiguitate titubare, quia decet firmum semper

existere quod antiquitate et diuturna possessione commendatur, nec priora quassare valemus, ubi nichil est quod corrigere debeamus: inde est, quod prefato Heroldo venerabili episcopo suisque successoribus in perpetuum pro fidei sue et obsequiorum preclaris meritis et interventu sacri collegii predictae ecclesie, cuius devotio pectoris nostri penetralibus inheret, ac liberorum et ministerialium indefessa supplicatione devicti damus et concedimus et presentis privilegii munimine confirmamus omnem iurisdictionem seu plenam potestatem faciendi iusticiam per totum episcopatum et ducatum Wirzeburgensem et per omnes cometas in eodem episcopatu vel ducatu sitas de rapinis et incendiis, de allodiis et beneficiis, de hominibus et de vindicta sanguinis, statuentes imperiali auctoritate et lege perpetuo valitura decernentes, ne aliqua ecclesiastica secularisve persona aliqua temeritatis presumptione contra instituta antiquorum principum, contra diuturnam et iustam possessionem Wirzeburgensis ecclesie et nostra intemeranda decreta veniens per totum Wirzeburgensem episcopatum et ducatum et cometas infra terminos episcopatus vel ducatus sitas iudiciariam potestatem de predis vel incendiis aut de allodiis seu beneficiis sive hominibus deinceps exerceat, nisi solus Wirzeburgensis episcopus et dux vel cui ipse commiserit, hoc excepto, quod comes de liberis hominibus, qui vulgo bargildi vocantur, in comitiis habitantibus statutam iusticiam recipere debent. Imperiali quoque precepto inhibemus, ne aliquis in prefato episcopatu et ducatu vel in comitiis in eis sitis aliquas centurias faciat vel centgravios constituat, nisi concessione episcopi ducis Wirzeburgensis. Preterea, quia de castro Bramberg quies pacis totius provincie sepe turbabatur et multorum malorum occasiones contra prefatam ecclesiam exorte sunt, pro pace ecclesie et salute anime nostre ipsum castrum destrui fecimus et montem ecclesie Wirzeburgensi iure proprietatis tradidimus, ne de cetero castrum vel aliqua munitio in eodem monte fiat firmiter inhibentes. Aliud quoque castrum Frankenberg dictum, quod adiacenti abbacie Amerbach destructionem minabatur et per subreptionem inimicorum ecclesie Wirzeburgensi poterat inferre periculum, similiter destruximus et montem nullo tempore reedificandum ecclesie recognovimus. Sit igitur hac nostra pragmatica sanctione supradictorum omnium omni evo stabilis et firma constitutio, et nemo ullo umquam tempore eam infringere vel cassare presumat. Quicumque autem contra eam venire vel in irritum revocare presumpserit, imperatorie maiestatis reus severissime animadversionis penas exsolvat et mille libras auri purissimi componat, medietatem camere nostre et alteram medietatem Wirzeburgensi episcopo et ecclesie. Quod ut verius credatur et ab omnibus diligentius observetur, presentem inde paginam conscribi et signi nostri karactere firmari et sigilli nostri impressione insigniri precepimus, adhibitis idoneis testibus, quorum nomina hec sunt: Cristianus Magontine sedis archiepiscopus, Udo Cicensis episcopus, Gerungus Missenensis episcopus, Hugo Fardensis episcopus, Rodulfus Leodiensis episcopus, Albericus Laudensis episcopus, Tercius Placentinus episcopus, Ragimundus Yporiensis episcopus, Burkardus Fuldensis abbas, Cono Ratisbonensis episcopus, Hildeboldus Herisveldensis abbas, Nicholaus Sigebergensis abbas, Engelhardus abbas Sancti Burchardi, Henricus abbas Sancti Stephani, Richolfus maioris ecclesie prepositus, Perseus dekanus, Reinhardus prepositus Novi Monasterii, Wernherus prepositus Sancti Iohannis, Godefridus cantor, Iohannes scolasticus, Albertus custos, Weszelo portenarius, Henricus prepositus de Onoldesbach, Bertolfus prepositus et archidiaconus, Conradus cellerarius, Henricus de Hesseburg, Henricus de Beierbach, Henricus curie prothonotarius, Adelohus prepositus Goslariensis, Theodericus prepositus de Werda Sancti Swiberti, Arnoldus prepositus Sancti Andree in Colonia, Burkardus prepositus Sancti Petri in Magontia, Conradus palatinus comes Rheni, Otto marchio Missenensis, Theodericus marchio frater eius, Henricus comes de Witin frater eorum, Otto et Fridericus palatini comes de Witilenesbach, Bertolfus marchio de Voheburg, comes Bertolfus de Andhesse, comes Rodulfus de Fullendorph, comes Lodowicus de Lon, comes Rapodo de Abenberg et filius eius comes Fridericus, Boppo Wirzeburgensis burgravius, Marqwardus de Grombach et filii eius Albertus et Otto, Burkardus Magdeburgensis burgravius, Odalricus

filius ducis Boemie, Albertus filius ducis Polonie, Albertus comes de Dilingen, comes Otto de Kirkberg, comes Manegoldus de Veringen, comes Bertolfus de Berga, comes Gerhardus de Bertheim et frater eius Hermannus, comes Boppo de Wertheim, Conradus burkgravius de Noremberg, Robertus de Kastela, Conradus de Bukkesberg, Fredericus de Bilred, Boppo et Godeboldus de Liethenberg, Heinricus et Boppo de Trimperg, comes Hermannus de Wolveswach, Waltherus et Crafto de Lobenhusen, Manegoldus de Tunkdorph, Albertus de Hilthenburg, Conradus de Scheideveld, Conradus de Niuemburg, Conradus de Phuzecha, Heinricus marischalcus, Bertolfus triscamerarius, Cono camerarius de Minzenberg, Waltherus dapifer, Conradus Colbo pincerna et fratres eius Lodowicus et Berengerus, Hugo de Warda, Thiemo de Koldiz, Bodo de Wirzeburg, Iringus pincerna, Engelhardus dapifer, Billungus vicedomnus, Billungus et Heinricus schultheti, Richolfus de Rieth, Wolframms et Conradus de Brozoldesheim, Godefridus et Engelbertus de Foro.

(M) Signum domni Frederici Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Heinricus cancellarius vice Cristiani Magontine sedis archiepiscopi et archicancellarii recognovi.

Dat. Wirzeburg, VI. Idus Iulii, indictione I, anno dominice incarnationis MCLXVIII regnante domno Frederico Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni eius XVI, imperii vero XIII. Actum in Christo feliciter amen.

## Nr. 16. (14). Rheinfränkischer Landfriede Friedrichs I. — 1179, Febr. 18.

MG. Const. I, Nr. 277, ©. 381—383.

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus. Ex debito imperialis officii tenemur per universum imperium nostrum pro necessitate et statu provincialiarum pacem ordinare, ordinatam nostra auctoritate confirmare. Cum itaque in prima dominica quadagesime, que fuit XII. Kal. Marcii, in opido Wizenburc ad faciendas iusticias pro tribunali sederemus, assidentibus nobis principibus [et] nobilibus illius terre, astantibus etiam ministerialibus et provincialibus cunctisque simul devote postulantibus pacem antiquam a predecessore nostro Karolo divo augusto institutam, renovavimus ipsam [et] a proxima Pasca ad duos annos inviolabiliter observandam indiximus. Huius autem pacis forma est:

1. Ville, villarum habitatores, clerici, monachi, feminae, mercatores, agricole, molendina, Iudei, qui ad fiscum imperatoris pertinent, venatores et ferarum indagatores, quos weidelude dicimus, omni die pacem habeant, nisi hii qui laqueos tendunt et compedes ponunt, qui nullo die aut loco pacem debent habere.

2. Si quis habet inimicum, quem persequi voluerit, persequatur eum in campo absque dampno rerum suarum aut capiat eum, statim iudici ipsum representans iudicandum. Quod si reus ad aratrum, molendinum seu villam confugerit, firma pace potiatur.

3. Persequi vero inimicum nulli conceditur nisi certis diebus in septimana, videlicet feria II, III, IIII. usque in occasum solis. Aliis quatuor diebus plenam pacem habeat.

4. Si quis fugientem inimicum insequitur usque ad villam et inpetu equi, non sua sponte in villa delatus fuerit, in porta ville lanceam et arma quibus absolvi potest abiciat; in villa autem sacramento asserere tenetur, non propria voluntate, set inpetu equi villam intrasse; alioquin violator pacis erit.

5. Si quis hanc pacem homicidio infregerit, si capitur, capitalem sententiam subibit. Si aliquem vulneraverit, manus eius amputetur.

6. Si reus perpetrato maleficio effugerit, per trinas XIII dierum inducias citetur. Si venerit, septima manu se expurget, nisi forte occisi vel vulnerati aliquis amicus eum duello super hoc inpetere voluerit. In quo si ceciderit accusatus de homicidio, collo plectatur; de effusione sanguinis accusatus si ceciderit, manum amittat.

7. Si homicida vel vulnerator in facto deprehensus fuerit et pretenderit, quod hoc